



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena**

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,  
doctrina excutitur, scripta recensentur

**Origenes**

**Rothomagi, 1668**

III. Notantur nonnulla circa ordinem ac tempus Exegeticōn, ac  
Syntagmatum ipsius quorundam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-25059**

choata, Athenis & Casarea Stratonis affecta, ac Tyri demum arbitror fuisse perfecta. Ita A  
 Eusebio conciliatur Epiphanius, quorum ille aliquam in concinnandis Hexaplis Alexan-  
 dria operam ab Origene positam videtur significare; hic Tyri fuisse composita aperte  
 docet; quod ita intelligendum est, non Tyri solum ea elaborasse Origenem, sed in iis  
 etiam locis, in quibus octo & viginti ante mortem annis versatus est, quos Tyri trans-  
 actos perperam Epiphanius credidit. Firmat nostram conjecturam quod ait Eusebius lib. 6.  
 Hist. cap. 17, Symmachi interpretationem in Iuliana Bibliotheca Origenem reperisse.  
 Nondum itaque Hexapla vel Tetrapla concinnaverat, quorum pars magna fuit Symmachi  
 interpretatio. Eusebio itidem adstipulatur Epiphanius, scribens Har. 64. cap. 3, Orige-  
 nem lucubrations suas in Scripturam, impulsu Ambrosij suscepas, ab Hexaplis fuisse  
 auspicatum: τὸ ἀρχαῖον, inquit, ἀπὸ βασιλέως ἐπιλοποῦντο το σωμαζαρίν τῆ ἐξ ἐπιλευσίων At-  
 qui tunc temporis Alexandriae versabatur. Retorquebit argumentum aliquis, & dicit hoc  
 tempore sex Interpretationes in unum colligere non potuisse Origenem, qui etiam tum  
 Symmachi interpretatione, & editione Sexta careret. Respondeo Hexaplorum coagmenta-  
 tionem mente praeformasse ipsum cum esset Alexandriae, non ipsa coagmentasse, cum  
 nondum exemplaria haberet ad manum, sed iam inde ipsis investigandis operam dedisse.  
 Itaque non dicit Epiphanius, σωμαζαρίν, sed, ἐπιδομησάτο σωμαζαρίν

Euseb. Hist.  
 lib. 6. c. 6.

Perfecto Hexaplorum opere, ut studiosorum sumptibus & operae consulere Origenes,  
 ad compingenda Tetrapla animum convertit. Eusebius: τα τῆ λεγεμενῶν ἐξαπλῶν ἡμῶν αἰ-  
 νῶν ἡμετέρα κατὰ λῆξιν ἔχουσιν ἰδίως ἢ ἀπὸ τοῦ καὶ συρμῶν, καὶ Θεοδοτίωνος. Ἐκδοσαν ὁμοῦ τῆ ἐξ ἐπιλευσίων  
 ἐν τοῖς πῆρα πλοῖς ἐπιδομησάσας. Exemplaria nobis Hexaplorum reliquit; cum praeterea Aquila, &  
 Symmachi, & Theodotionis editionem, una cum illa Septuaginta Senum in Tetraplis scriptum digestisset.  
 Idem manifeste tradit Zonaras in Severo. Iam ante autem vel utraque, vel utraque com-  
 pegerat Origenes, quam Commentaria scripsisset in Matthaum; in quorum Tomo 15. pag.  
 381. se varias Scripturae Editiones contulisse, & obelis ac asteriscis notasse tradit.

III. Has Origenis scriptiones recenset, suisque adjungit temporibus Eusebius. Nos  
 praeterea ex ipso Adamantio nonnulla collegimus, unde aliarum quarumdam lucubrati-  
 onum ordo ac tempus aestimari possint. Scripsisse Origenem Commentarios in Genesim,  
 antequam libros ἀρχαῖον componeret, & ex Eusebio intelligitur, & multo magis ex Ori-  
 gene ipso, qui libro 1. ἀρχαῖον cap. 3. & libr. 2. cap. 3. istos citat Commentarios. Idem  
 tamen libro 1. cap. 2. haec habet: Puto ergo posse priori quidem exemplo aptari cum qui ad imagi-  
 nem & similitudinem Dei factus est homo, de quo diligentius, fervente Deo, cum locum ipsum in Ge-  
 nesi exponere experimus, videbimus. Quid ergo? an haec à librariis, an ab Interprete vitiosa di-  
 cemus? an alia quadam in Genesim meditata fuisse fingemus Origenem, cum haec scri-  
 beret? Equidem haereo. Ex libro quoque De oratione cognoscimus scriptum hunc esse  
 editis jam Commentariis in Genesim. Expositionum in Exodum, in Leviticum, & in Nu-  
 meros nulla in sexto Eusebianae Historiae memoria: eas esse vetustiores decem Volumini-  
 bus Commentariorum in Canticum Canticorum haec Origenis patefaciunt verba ex Homi-  
 li. 1. in Cantic. De quo plenius in libro Levitico, prout Dominus dare dignatus est, exposuimus. &  
 ista è Prologo: Sed quomodo differant à sanctis Sancta sanctorum in Exodo, & quomodo differant  
 opera ab operibus operum in Numerorum libro, tractantibus, prout potuimus, dictum est à nobis. Quo  
 tempore autem Canticum explanaverit mox viderimus. Expositiones in Leviticum lau-  
 dat iterum Origenes libr. 9. in Epist. ad Rom. cum ait: De quibus singulis cum in librum Levi-  
 ticum aliqua diceremus, pro viribus explanare tentavimus. An vero Commentarij in Exodum, in  
 Leviticum, & in Numeros his signentur, an Homiliae, non satis apparet. De enarrationi-  
 bus Deuteronomij alium apud Eusebium silentium. Recentiores illas esse reperio poste-  
 rioribus Tomis in Iohannem: sic enim scribit Origenes Tomo 32. in Iohann. super Deu-  
 teronomij cap. 2. vers. 30. ἀλλὰ τὸ ἀρχαῖον οὗτον, οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς τοῦ δευτερονόμου ἐπι-  
 λεύσιν ἀρχαῖον. Posterioribus autem in Iohannem Tomis suum mox tempus praefinemus. At ve-  
 rustiores fuerunt enarrationes illae Deuteronomij Homiliae in Lucam: de ijs quippe sic  
 Origenes Homil. 8. in Luc. Memini quondam Deuteronomium differrentem, dixisse me, &c. quae F  
 non aliud expositionis genus, quam Homileticum videntur indicare.

Bar. Ann.  
 208. cap. 1.

Observatum est Eusebio Commentarios in viginti quinque priores Psalmos Alexan-  
 diae degentem Adamantium edidisse. Ipse vero Origenes Tomo 1. Commentar. in Epist.  
 ad Rom. futurum pollicetur, ut Psalmum 57. aliquando enaret: & libro tamen quarto  
 in eandem Epistolam, Psalmos sese interpretatum fuisse declarat: sed hic fortasse Tomos  
 intelligit illic Homiliae vel Scholia. At Homilia 15. in Iosue explicasse se significat Psalmum  
 centesimum; & Homilia 13. in Levitic. meminit expositionis suae in Psalmum 118.  
 Hieronymus in Prooemio Commentariorum suorum in Abdiam scribit expositionem  
 Origenis in Canticum, factum esse juvenilis aetatis. Hieronymum secutus Baronius factum  
 id putat anno Christi 208. quo tempore vigesimum tertium aetatis annum agebat Ada-



quod ad Corinthios scribitur: *Ecclesia Dei qua est Corinthi, cum omnibus qui invocant eam, dixisse me ad diversitatem Ecclesie, & eorum qui invocant nomen Domini.* Commentarios in priorem ad Theſſalonicenſes Epistolam in Opere contra Celsum, libro secundo laudato reperis. Denique expositionem aliquam in Apocalypſim meditabatur, cum Mattheum explicaret: de Eracone quippe illo septem capitibus, & decem cornibus instructo agens, ita scribit Tractat. 30. *Exponetur autem tempore suo in Revelatione Iohannis: & mox: Has autem principales expositiones atque probationes oportet fieri, cum ipse liber (Apocalypſeos) propoſitus fuerit nobis ad exponendum.*

IV. Ceterum magna in distinguendis Origenis Homiliis adhibenda dijudicatio est; alias enim meditate conscriptas edidit, alias ex tempore recitavit. Longe levior, me iudice, harum auctoritas; gravior illarum existimatio. Quidquid extemporalium Homiliarum superest, post sexagesimum aetatis suae annum pronuntiavit Origenes; actuarii ex ambone recitatas exceperunt: quod haecenus fieri prohibuerat. Alias variis temporibus accuravit. Quod si haec perpexisset Erasmus, minime profecto id ipsi de Homiliis Origenis generatim agentis excidisset: *Eas conciones non ipse scripsit, sed à notarijs excipi passus est, quod tamen negant tuum esse passum ante annum, ut ante dictum est, sexagesimum.* Quasi nullas cogitate conscripserit Homiliae Origenes, sed omnes ex tempore profuderit. Homiliae in Lucant, teste Hieronymo in Prologo suae interpretationis, foetus est juvenilis aetatis, & in otio quidem ac secreto conceptus, ut in publicum deinde ederetur. Continuatam ergo illic Lucae expositionem animadvertas, praeterquam in sex postremis Homilijs, quae ex ampliori numero videntur excerptae. Prioribus illis triginta tribus similes sunt Homiliae in Psalmos 36, 37, & 38, & duae in Canticum, & novem in Iudices. Extemporales autem Homiliae, quoniam juxta Episcopi praescriptum, & designatum ab eo argumentum ac Scripturae locum pronuntiabantur, ideoque certum hunc ordinem nequam tenent; sed in eandem saepe pericopam geminatae reperiuntur, praetermissis totis capitibus, diligenti cateroquin observatione, & explicatione dignis. Hujus generis videntur esse superstites in quatuor priores Pentateuchi libros Homiliae; & quae in librum Iosue extant, quas, ut ait Rufinus Interpres in Prologo, *ex tempore in Ecclesia peroravit Adamantius senex.* Hujus quoque generis esse videtur unica illa in 1. Reg. cap. 1, & 2. & alia de Engastrimytho, quam primus edidit Leo Allatius, & quae super sunt in Isaiam, in Ieremiam, & in Ezechielem. Haec autem subinde à studiosis juxta scripturae ordinem collectae & dispositae sunt. Atque haec nos magna verisimilitudine ducti conjectamus, non praefraete asserimus.

## APPENDIX

## LIBRI ORIGENI FALSO, VEL DUBITANTER ADSRIPTI.

I. Unde factum sit ut Origenis nomen pleraque sibi scriptiones falso asserverint, aperitur.  
 II. De tribus libris in Job, deque vetusto ipsorum interprete. III. De posteriore in Job commentario. IV. De commentario in Marcum, V. Homilia in diversas. VI. Homilia quae in Codice Vaticano inscribitur, *τὸ πρῶτον ἀδελφῶν*; VII. Scholias in Oratorem Dominicam, & Cantica B. Virginis, Zachariae, & Symeonis. VIII. De lamento Origenis, IX. Dialogo de orthodoxa fide, X. alio quodam vetusto Dialogo, XI. libellis De haeresibus, XII. De singularitate Clericorum, XIII. De Astrolabis, & De breviario, & Sermones De catechesi.

I. **D**EMONSTRAVIMVS libri secundi quarto capite magnum aliquando in Ecclesia & illustre fuisse Origenis nomen; eoque etiam ex adversariorum contentionibus & convitiis, quod fere alias usuvenire solet, illustrius evasisse. Hinc factum est ut ab incertis & ignotis auctoribus profecta lucubrationes nonnullae, sic tamquam projecti infantes, clarum Origenis nomen sibi libenter asserverint; nonnumquam etiam operibus suis metuentes Scriptores subdoli, eminentium hunc praetextentes titulum, Adamantij famam veluti furto subripuerint; biblioplae etiam mercibus suis venditandis emtorem hiantem fucata hac inscriptione induxerint. Has quidem ob causas aliquando contigisse reor, ut in Origenis familiam spurij transferent libri; at frequentius etiam idem evenisse puto vel ex librariorum oscitantia, nomina nominibus commutantium; vel ex Criticorum audacia, quidvis sibi licere in literis putantium. Huc accessit quod